

non unirentur sub uno capite, quarum multiplicatio vicina poterat facile discordiam parere, et non erat necessaria, quia regula erat uniformis omnino in modo vivendi separato et remoto ab actionibus externis. Ait etiam Basilius fuisse tunc penuriam hominum, qui huiusmodi domos regere utiliter possent, quia monachi regulariter sacerdotes non erant, neque docti. Quæ rationes hoc tempore cessant, nam in eadem religione sunt variæ actiones, vel ad studia, vel ad conciones et alia ministeria; est etiam unio earum inter se, et sub uno superiori Prælato; nec desunt homines docti et prudentes, per quos possint gubernari, et ideo etiam hoc modo possunt utiliter sæpe monasteria in eadem civitate multiplicari. Quia vero in utraque multiplicatione poterat esse excessus, ideo multiplicatio religionum Summo Pontifici merito reservata est, ut patet ex Concil. Lateranensi, in c. ult., de Religios. dom., et Concilio Lugdunensi, in c. unic., eod. tit., in 6. In Concilio autem Tridentino, sess. 25, c. 3, de Regul., ad alia incommoda vitanda statuitur, ut sine licentia Episcopi monasteria non erigantur.

CAPUT II.

UTRUM RELIGIOSA VITA IN SOLITARIAM ET CŒNOBITICAM RECTE DISTINGUATUR, ET UTRA PERFECTIOR SIT.

1. Supponendum est, sermonem esse de proprio statu religioso; late enim potest religiosa vita appellari omnis illa, quæ ad divinum cultum instituitur, etiamsi non habeat omnia requisita ad religiosum statum, ut ex superius dictis satis notum est. Videtur autem hoc modo non posse habere locum distinctio proposita, quia repugnat vitam esse vere religiosam, et esse solitariam. Primo, quia vota religiosa esse debent sub speciali obedientia alicujus Prælati; qui autem solitariam vitam agit, nullius obedientiæ specialiter subjectus est, ut patet de Joanne Baptista, de Paulo, primo eremita, et similibus; ergo. Secundo, quia vita religiosa debet esse regularis, debet enim statui et firmari per professionem sub aliqua certa regula; unde et in jure religiosi regulares appellantur, et pro eodem reputantur; sed qui vitam solitariam agit, nullam regulam profitetur, ut per se constat; ergo. Tertium, quia status religiosus requirit Ecclesiæ approbationem et acceptationem; in vita autem solitaria nihil horum reperitur.

In contrarium est, quia antiqui et perfectissimi monachi hanc vitam professi sunt; imo hac ratione, Joannes Baptista eorum princeps et dux in lege gratiæ appellari solet; et ante illum, in lege veteri, Elias censetur huic statui principium dedisse; cujus exemplum etiam Christus dare voluit, quando in desertum per quadraginta dies secessit, ut jejunio et contemplationi vacaret. Atque ita est apud Patres vulgaris distinctio monachorum in anachoretas et cœnobitas, ut videre licet apud Hieronymum, epist. 22 ad Eustochium, de Custod. virgin.; Cassianum, collat. 18, c. 4; Isidorum, lib. 2 de Offic. Eccles., cap. 15, de Monachis, et lib. 7 Etymolog., c. 13, ubi anachoretas et eremitas in duos ordines distinguit; nam eremitas vocat, qui semper a principio solitariam vitam profitentur; anachoretas, qui post acquisitam perfectionem in vita cœnobitica, in solitudinem separantur. Sufficiens tamen est bimembris divisio: nam quicumque solitariam vitam agunt, utroque nomine appellari solent, et cum illa duo membra quasi per contradictorias differentias distinguantur, adæquate distinguunt divisum. Solent etiam Patres addere alia membra illi divisioni, ut patet ex proxime citatis, et ex S. Benedicto, in principio suæ Regulæ. Verumtamen illa alia membra non pertinent ad veros et religiosos monachos de quibus agimus, sed dantur de quibusdam fictis et reprobis monachis, qui illis temporibus vigeant.

2. Tota ergo difficultas hujus divisionis, ut argumenta ostendunt, versatur in altero membro, scilicet, vitæ solitariæ; nam de vita cœnobitica non est dubium. Dicitur enim cœnobitica vita, quæ agitur in religiosa congregatione, cujuscumque ordinis illa sit, quæ dici etiam potest vita communis et socialis. Sed quia hæ voces generaliores sunt, ideo religiosæ vitæ, quæ in conventu fratrum fit, vox illa accommodata est. Quod ergo hæ vitæ communis ratio accommodatissima sit statui religioso, per se notum est, tum ex usu Ecclesiæ, in qua hic modus vitæ religiosæ prævaluit, ac fere solus conservatur; tum etiam quia ad omnia vota religioso statui substantialia, et ad praxim omnium consiliorum et virtutum est valde opportuna, ut statim magis patebit. Unde de hac interpretatur Augustinus illud Psalmi 132: *Quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum*; quia in hujusmodi religiosis cœnobiis ita sunt multi, ut tamen sit cor unum et anima una, cujus initium, et

quasi exemplar ait fuisse in cœnaculo, ubi post Christi Domini ascensionem erant Apostoli cum fidelibus congregati in unum, orationibus instantes, et expectantes Spiritus Sancti adventum. Et ideo in hos etiam cœnobitas interpretatur, optime convenire monachi nomen, quia, licet ab unitate sumptum sit (*monos enim est unus*, unde monachus, quasi unus et solitarius dictus est), tamen etiam cœnobitæ monachi recte dicuntur: *Nam qui sic vivunt in unum* (ait Augustinus), *ut unum hominem faciant, ut sit illis verum, sicut scriptum est, cor unum et anima una, multa corpora, sed unum cor, et una anima, recte dicitur monos, id est, unus solus*. Igitur modis omnibus, et res, et vox religiosi status in hujusmodi congregationes, earumque religiosos convenit; de alio ergo membro videndum superest.

3. *Vita solitaria late et presse dicitur.*—*Vita eremitica late, est verus status religiosus.*—*Sermones ad Fratres in eremo, num sint Augustini.*—*Vita eremitica presse, qua.*—Est ergo ulterius advertendum, generaliter dici posse solitariam vitam, omnem illam quæ communis non est, neque in societate multorum idem genus vitæ profitentium, sive agatur in solitudine ab omni commercio hominum separata, quæ proprie dicitur vita eremitica; sive agatur in pagis, villis, et civitatibus, in propriis tamen ac privatis domibus; licet enim hæc non possit dici vita solitaria, quantum ad conversationem et convictum cum aliis hominibus, potest tamen dici solitaria, si alioqui religiosa sit, quoad societatem et unitatem in eodem genere vitæ. Fuit autem uterque modus vivendi cultus in Ecclesia ab his hominibus, qui viam consiliorum et perfectionis amplexi sunt. Nam de vita eremitica extant clarissima antiquitatis exempla. Tamen, ne sit ambiguitas in nomine, oportet advertere, interdum dici eremitas, eos, qui in cœnobiis degunt, quando talia monasteria solum in desertis locis ac eremis construebant, et ex sua vivendi ratione talem separationem a populis hominum postulabant. Hoc modo fuerunt eremitæ religiosi S. Basili, ut ex eo accipi potest in regul. 6, ex fus. disputat.; in hac etiam amplitudine videtur mihi de solitaria vita loqui Hieronymus, cum illam mire laudat in epistola prima ad Heliodorum. Augustini monachi eremitæ dicuntur, ad quos sunt sermones ejus ad Fratres in eremo, de quorum auctore licet aliqui recentiores dubitaverint, tamen plerique doctiores, eos Augustinianos vere esse recognoscunt, et ita inveniuntur passim

citati a gravibus auctoribus, præsertim a Nicolao V, in tractatu de laudibus Augustini, et a S. Antonio de Paulo, Vincentio Ferr., et Bernard. Senen., sæpe in suis concionibus; et Concilium Aquisgran. citat sermones de communi vita clericorum, qui ejusdem ordinis et rationis esse censentur. Et fortasse non pauci inter illos inserti erunt, qui non sint Augustini, de quo iterum libro sequenti, capite octavo, numero octavo; tamen quod aliquos inscripserit eo titulo, verisimillimum est ob tantam antiquitatem. Sic etiam Carthusiani eremitæ appellari solent, et in sua professione promittunt conversionem et emendationem morum in illa eremo; constat autem illorum vitam cœnobiticam esse, licet multum participet de vita solitaria. Alio vero modo dicuntur eremitæ, qui vitam solitariam profitentur extra omnem hominum congregationem, et conversationem, qualem egit sæpius Elias in monte Carmelo, et Joannes Baptista in deserto, et Paulus, primus eremita, ut in Kalendario Romano appellatur.

4. *Hæc vita laudabilis est.*—*Fuit etiam status religiosus quando a cœnobio ad illam transitus erat.*—Hanc ergo vitam eremiticam in hoc rigore sumptam, sanctam, et Deo gratam esse ostendit late Bellarminus, contra hujus temporis hæreticos, lib. 2 de Monachis, cap. 39, ubi plurima et optima congerit Patrum testimonia, quæ ibi videri possunt; nam res satis clara est, tam ex se, quam ex usu, et approbatione totius Ecclesiæ, propter quod in Concilio Chalcedonensi, cap. 4, dictum est: *Qui vere pureque solitariam eligunt vitam, digni sunt convenienti honore*; habetur 16, quæst. 1, cap. *Qui vere*. Supposita vero illius vitæ sanctitate, ostendere oportet fuisse verum statum religiosum. Circa quod sciendum est, vitam illam solitariam dupliciter assumi posse: primo, statim a principio conversionis ab illa inchoando; secundo, ad illam a cœnobitica vita transeundo. Hoc posteriori modo consueverunt Patres vitam illam esse assumendam, postquam, scilicet, aliquis in cœnobio per multos annos se exercuerit, et magnos progressus in perfectione fecerit, ut monet Hieronymus, in epist. 22, de Custod. virgin., ad Eustochium, in fin., et epist. 4 ad Rusticum: *De ludo monasteriorum hujuscemodi volumus regredi milites, quos eremi dura rudimenta non terreat*. Idem sensit Augustinus, lib. 4 de Morib. Eccles., cap. 3; Cassian., collat. 10, cap. 3; Benedictus, cap. 1 suæ regulæ; Bernardus, serm. 3 de Circumcis.; et Isidor., lib. 2 de

Offic., cap. 13, sub titulo *De tertio genere monachorum*, refert morem antiquum fuisse, ut per viginti annos, alias triginta, prius probarentur in cœnobiiis, et postea non nisi per electionem obedientiæ, ad solitariam vitam transirent; in canone autem 41 Trullano, saltem quatuor anni requiruntur, et Episcopi approbatio. Hanc ergo vitam solitariam manifestum est, et supponere et includere religiosum statum, quia ex illo, quem in monasterio quispiam professus est, ad eremum transit; per hunc autem transitum non aufertur religiosus status, qui in tali persona supponitur, cum talis status immutabilis ex se sit, sed usus ejus accidentaliter mutatur. Unde, quod spectat ad castitatem et paupertatem, manifestum est in illa solitaria vita perfectissime posse servari, et eandem obligationem manere; quoad obedientiam vero existimo, hujusmodi transitum semper debuisse fieri servata obedientiæ lege, et obligatione; imo etiam in ipso eremo semper conservari debuisse subordinationem aliquam ad Prælatum, secundum aliquam regulam: quia obedientiæ votum in se manebat etiam integrum, et ideo aliquem usum ejus fuisse necesse est, juxta regulam tamen et consuetudinem voventium. Et eadem ratione, illa separatio a cœnobio non repugnat traditioni quam de se fecerat quispiam monasterio per professionem suam, quia illa traditio etiam intelligitur juxta mensuram regulæ et obedientiæ, et tota ordinatur ad majus bonum et perfectionem profitentis, quæ omnia in illo transitu servabantur.

5. *Quando vero immediate a seculo ad illam transitus erat, non videri statum religiosum.* — Quando vero status ille eremiticus immediate inchoabatur, sine ullo transitu per cœnobium, nec per professionem in illo factam, ut fuit in S. Paulo per totam vitam, et Antonio multis annis, et plerisque aliis, difficile est definire an et quo modo in eis fuerit vera professio religiosi status. Quia licet, quoad observantiam, summam paupertatem et perfectissimam castitatem coluerint, non constat nobis an talia vota emitterent. Deinde, licet demum ea emisissent, ex illo affectu, quem habebant scilicet totos consecrandi cultui divino et perfectioni quaerendæ, et quo vitam illam assumebant firmo proposito in illa perpetuo manendi, et ideo credibile sit perpetuam illam perseverantiam Deo promississe, maxime quia non ignorabant hoc esse melius et gratius Deo, hoc tamen totum ad verum religiosum statum non sufficit. Et, quod caput est, illi nullam obe-

dientiam alicui homini profitebantur, nec secundum certam regulam, vel voluntatem alienam vivere statuebant aut promittebant; quomodo ergo poterat in eis esse status religiosus perfectus? De hac vero difficultate inferius dicam in numero duodecimo.

6. *Modus quidam vitæ solitariæ memoratur, et rejicitur.* — Venio ad alium modum vitæ religiosæ privatum quidem, non tamen omnino solitarium. Ubi primum rejiciendus est quidam monachorum gradus, cujus mentionem fecit Hieronymus, in epist. 22, de Custod. virgin., in fin., eosque *Remoboth* appellat, quod nomen Ægyptium est, qui non omnino soli, sed bini, vel terni habitabant, suo tamen arbitrato, et sine obedientia vivebant; et, licet aliqua opera paupertatis, et poenitentiae facerent, perfectionem tamen vitæ non profitebantur. Eorumdem videtur facere sermonem Benedictus in sua Regula, cap. 1, ubi duo genera horum hominum distinguit. Sed eos missos faciamus, nihil enim ad præsentem causam pertinent, non enim erant veri religiosi, sed ficti, et perditii homines, et ut tales, dicti Patres eos reprehendunt.

7. *Alter modus a feminis præsertim usitatus, et statum religionis includens.* — Illius ergo status ac modi vivendi vestigia præcipue in feminis et sacris virginibus inveniuntur; quamvis enim olim etiam in monasteriis vivere solerent, ut ex Ambrosio, ad Virginem lapsam, cap. 7, Hieronymo, epist. 8, ad Demetriam, et 48 ad Sabinian., et aliis constat, sæpe etiam in propriis domibus vivebant, postquam coram Episcopo virginitatem professæ fuerant, et ab eo velum acceperant. Unde Augustinus, serm. 1 de Commun. vit. cleric.: *Virgo (ait) etsi nunquam fuerit in monasterio, si virgo sacrata est, illi nubere non licet, quamvis esse in monasterio non compellatur.* Hinc Concilium Toletanum IV, cap. 8, et est apud Burch., lib. 8 Decret., cap. 48, et Gratian., 27, q. 1, cap. 7: *De viduis (ait) et puellis, quæ habitum religionis in domibus propriis, tam a parentibus quam per se mutaverunt, si postea contra instituta Patrum, vel præcepta canonum conjugia putaverint copulanda, tamdiu a communione habeantur suspensæ, quamdiu quod illicite perpetrarunt emendaverint.* Quibus verbis significatur illas fuisse veras religiosas, et incapaces matrimonii, quamvis in domibus propriis professæ fuissent; imo significatur professionem tacitam per solam gestationem habitus fuisse sufficientem. Idem sumi potest ex Concilio Carthagi-

nensi IV, c. 54, et ex aliis, quæ referuntur a Gratian., 27, q. 1. Clarius ex Concilio Carthaginensi III, c. 33, colligimus virgines sacras, quæ parentes habebant, sub eorum custodia in propriis domibus vivere potuisse; ac mortuis parentibus, dicitur ibi, in monasteriis sub providentia Episcopi esse custodiendas. Quod etiam ex Concilio Afric., c. 11, refert Burch., libro 7, capite septuagesimo quinto, qui etiam, cap. 54, refert decretum Eugenii Papæ, dicentis: *Mulieres sub obtentu religionis velatæ, aut in monasterio regulariter vivant, aut domibus suis susceptum habitum caste observent.* Hinc etiam in Concilio Eliber., cap. vigesimo septimo, permittitur Episcopo et presbytero apud se habere filiam virginem Deo dicatam. Denique in c. *Ex parte*, 2, de Conver. conjug., clare supponitur, in propria domo posse religiosam professionem fieri, et idem clarius habetur in c. *Insinuante*, Qui cler. vel vovent.

8. *Juxta hunc modum satis verificatur divisio in titulo posita.* — Constat igitur etiam hoc modo recte distingui posse statum religiosum in cœnobiticum, seu regularem, et solitarium, seu vitæ privatae, quia in hoc etiam interveniunt omnia, quæ sunt de essentia talis status; non enim est de essentia ejus quod fiat sub certa regula, ut supra ostensum est; potestque habere Ecclesiæ approbationem sufficientem, si talis professio, cum vera traditione et votis substantialibus religionis, auctoritate Ecclesiæ recipiatur et approbetur. Quamvis autem hoc ita sit, et olim fuerit in usu, nunc jam non est in Ecclesia talis consuetudo, quia nulla professio ab Ecclesia recipitur quæ non fiat secundum aliquem regulam ab eadem Ecclesia approbatam, juxta c. ult., de Religios. domib., et c. unic., eod. tit., in 6; ergo qui nunquam religiosi fuerunt, nec sub obedientia alicujus Prælati et approbatæ regulæ vivunt, sine dubio non sunt veri religiosi, etiamsi forte castitatem voveant.

9. *Hodie dicta divisio simpliciter locum non habet.* — Quapropter distinctio hæc jam non habet fere locum in Ecclesia; nam, licet sint aliqui, qui solitariam vitam agunt, et eremitæ dicuntur, illi aut professi sunt sub obedientia alicujus regulæ approbatæ, sub qua etiam vivunt, licet a consortio communis congregationis separati; aut tales professionem nunquam emisissent. Priores, ut bene notavit Sylvester, verb. *Eremita*, non sunt præcise eremitæ, sed sunt religiosi ducentes vitam eremiticam, qui

in præparatione animi etiam ducunt vitam cœnobiticam, si ad illam per obedientiam revocentur. Cujus vitæ antiqua vestigia et exempla in Hispania conservant Patres S. Benedicti, in celeberrimo et religiosissimo conventu S. Mariæ de Monte Serrato. Quocirca, licet in his distingui possit vita solitaria a cœnobitica, quantum ad actualem vivendi modum, ut sic dicam, non tamen quantum ad statum religiosum, quia est unus et idem, varias actiones sub eadem regula et obedientia exercens.

10. *Eremitæ qui non profitentur regulam aliquam non sunt religiosi.* — Posteriores autem non sunt veri religiosi, ut communiter auctores sentiunt, adeo ut multi negent eos gaudere privilegio clericali. Nam primo illi non vovent, nec se tradunt in manibus alicujus, nec profitentur secundum aliquam regulam approbatam. Secundo, vel castitatem non vovent, vel, si vovent, id est mere privatim et simpliciter, unde nec inhabiles fiunt ad matrimonium; nec publice, et coram Ecclesia vovent per se loquendo. Tertio, non obligantur ad paupertatem, ut ait Glossa, in c. *Qui vere*, 16, q. 1, quam omnes Doctores sequuntur. Unde etiam possunt condere testamentum, ut supponit Gratian., 19, q. 3, § *E contra*, ubi etiam ait Paulum, primum eremitam, testamentum condidisse; sed in facto deceptus est, ut constat ex Hieronymo, in Vita Pauli, quidquid sit de jure an illud condere potuerit. Quarto, nec obedientiam vovent, ut ait S. Thomas, in 4, d. 27, in expositione litteræ, ad finem, circa illa verba: *Eremita solitudinem elegit.* Sed solum tenentur obedire Episcopo sicut alii fideles, ut idem ait, 2, 2, q. 186, art. 5, ad 3.

11. *An saltem gaudeant privilegio clericali.* — Hinc a multis Doctoribus hi eremitæ non reputantur personæ ecclesiasticæ, nec gaudere privilegio clericali. Quod sensit Joannes de Lignano, in Clement. *Per litteras*, de Præbend.; Abb., in c. *Nullus*, de Foro compet.; Angel., verb. *Eremita*, n. 3, qui tamen inconstanter ait hunc eremitam esse personam ecclesiasticam, et de foro ecclesiastico, per c. *Nulla ratione*, d. 93, et c. *Si autem*, 11, q. 3, qui textus nihil omnino de hac re loquuntur, nec ad illam faciunt, et hoc repugnat cum eo, quod proxime dixerat hic auctor, hos eremitas esse laicos, et manere sub jurisdictione imperatoris, quia nihil habent quod illos eximat. Item sine causa negaretur eis privilegium clericale, si personæ essent ecclesiasticæ; unde Glossa,

in d. c. *Qui vere*, dicit, eos gaudere privilegio clericali, quia ibi in textu dicitur, *qui vere pureque solitariam eligunt vitam, dignos esse competenti honore*. Sed hoc longe diversum est, nimisque generale. Unde Archid., quem sequitur Sylvester, ait gaudere, si subsint religioni, vel personæ religiosæ gaudenti illo privilegio. Sed licet hoc demus, id non erit, quia sunt religiosi, sed quia tunc sunt veluti conversi, aut obligati religioni; de qua re dixi plura in t. 5, in 3 part., disp. 22, sect. 1, n. 1, exponendo canonem *Si quis suadente*, ubi partem negativam secutus sum.

12. *Discutitur dubium in num. 5 propositum*. — An vero idem sentiendum sit de antiquis sanctis eremitis, Paulo, et similibus, quod, scilicet veri religiosi non fuerint, iudicium aliis relinquo. Nam D. Thomas, 2. 2, q. 186, art. 5, ad 3, videtur eos inter religiosos computare, et ideo conatur declarare quomodo habeant sufficientem obedientiam ad illum statum, quia, scilicet, subsunt Episcopis. Quod quidem esset verum, si constaret eos vovisse specialem obedientiam Episcopis, sed hoc nobis non constat. Idem vero D. Thomas, quæst. 188, art. 8, ad 3, significat hos sanctos habuisse obedientiam in præparatione animi, idque satis illis fuisse, quia actu obedire (ait) non est necessarium perfectis. Sed, licet hoc sit verum respectu perfectionis personalis, tamen respectu status necessarium videtur actuale votum obedientiæ, in quo illa aptitudinalis obedientia fundetur, et non tantum in generali obligatione præceptorum; de hoc autem voto nobis dubium est an illi sancti eremitæ, qui solitariam omnino vitam a principio vixerunt, illud emisserint. Et probabilius, ac fere certum videtur, non emisisse illud, nec alia vota in manu alicujus, qui vice Dei ejusque auctoritate illa reciperet et acceptaret, atque adeo nec veram professionem ad statum religiosum necessariam fecisse. In hac ergo re nihil certi habeo quod respondeam, et ideo mallem aliorum iudicio hoc relinquere, quam quicquam definire. Aut enim dicendum est, hos sanctos Patres, priusquam in eremum secederent, religiosam professionem in manibus Episcoporum fecisse, quod est divinare, nam in historiis seu vitis eorum hoc non legitur; aut dicendum est eos non fuisse proprie ac formaliter religiosos quoad statum publicum, et approbatum jure ordinario in Ecclesia, sed fuisse religiosos apud Deum altiori ratione, specialiter approbata peculiari Spiritus Sancti in-

stinctu. Quod videtur significasse D. Thomas, q. 188, art. 8, cum ait, in illis sanctis viris Spiritum Sanctum sua gratia supplevisse, quod in aliis per exercitationem acquiritur; unde dicere possumus in eis fuisse statum religiosum quasi eminenter, per abundantiam gratiæ confirmantis illos quasi ininobilitate in tali vivendi modo, et suppletis directionem obedientiæ, quæ in aliis per homines fieri solet, et in illis Sanctis erat perfecta in animi præparatione respectu Prælatorum Ecclesiæ. Quod paulo inferius amplius declarabitur.

13. *Neque etiam locum nunc habet divisio quoad religiosum statum in n. 7*. — Neque etiam habet locum prædicta distinctio, etiamsi vita solitaria non sumatur in illo rigore, sed ut distinguitur a vita cœnobitica, seu in communitate aliqua. Nunc enim jam non possunt fieri vota religionis, nec professio valida in statu omnino privato, sed debent fieri in religione approbata per Romanam Sedem, juxta cap. ult., de Religios. dom., et cap. unic., eod. tit., in 6. Talis autem religio non est nisi communitas aliqua sub obedientia alicujus Prælati, et sub aliqua regula vivens; cujus membrum effici necesse est, eique se tradere, qui secundum illam statum religiosum assumit ac proficitur. Quocirca omnes, sive viri, sive femine virgines privatam vitam agentes, quantumvis se Deo dedicent, et voveant castitatem, vel etiam paupertatem, et obedientiam, etiam in manibus Episcopi, religiosi non sunt, quia illa non est vera professio, nec traditio, cum non sit acceptata ab habente potestatem, nec modo ab Ecclesia præscripto, ut satis ex superioribus patet.

Utra sit vita perfectior, cœnobiticane an solitaria.

14. *Resolutio D. Thomæ solum procedit de utraque vita intra eundem statum*. — Ultimo constat ex dictis, quid dicendum sit de comparatione inter hos duos status, solitarium et cœnobiticum. Nam D. Thomas, d. q. 188, art. 8, videtur simpliciter solitariam vitam præferre, quando debito ordine ac modo assumitur: quia comparatur ad aliam, sicut terminus ad viam; terminus autem ex suo genere perfectior est via. Et in præsentia cœnobitica ad hoc sunt, ut homines tendant ad perfectionem, vita autem solitaria supponit perfectionem acquisitam, unde solum est ad exercendam perfectionem. Sed imprimis D. Thomas

loquitur de vita solitaria, quando ad illam per vitam religiosam in cœnobio seu conventu transitur. Quomodo vita hæc solitaria jam supponit verum statum religiosum, et ita non præfertur status statui, sed in eodem statu præfertur gradus perfectorum, gradui proficientium. Unde etiam supponitur diligens exercitatio in vita communi religiosa, ita ut perfectio jam comparata sit, et ad illam exercendam solitudo eligatur, non proprio iudicio, sed superioris arbitrio; nam talis solitaria vita non caret obedientiæ subordinatione, cum non destruat religiosum statum, sed perficiat.

15. *Solitaria vita ex cœnobitica ut sit perfectior, supponit licentiam Prælati*. — Quapropter in viro jam religioso solitaria vita aliter assumpta, non solum perfecta non esset, verum nec laudabilis, quia obedientiæ et obligationi prioris professionis repugnaret. Neque quoad hoc credendum esset cuicumque spiritui moventi ad vitam solitariam, contra superioris voluntatem assumendam; nam quæ a Deo sunt, ordinata sunt. Ubi applicari possunt verba Innocentii III, in cap. *Nisi cum pridem*, de Electione, ubi ad quemdam Episcopum, qui cedere Episcopatu volebat sine alia legitima causa vel auctoritate, solum ut contemplationi vacaret, sic inquit: *Sed dices: Spiritus ubi vult spirat, et nescis unde veniat, aut quo vadat; et ideo non est qui possit vias illius Spiritus perscrutari, qui vero Spiritu Dei aguntur, non sunt sub lege, quia ubi Spiritus Dei, ibi libertas; quare si cedendi (quod nos in præsen dicere possumus, si recedendi) potestas data ab homine non fuerit, nihilominus tamen cedes (seu recedes) a Deo: certe (respondit Pontifex) desipis, si sic sapias, nam quomodo Spiritu Dei agitur, qui contra Spiritum Dei agit? si enim vera sunt que præmisimus (scilicet, de obligatione Episcopi, et idem est in præsentia de obligatione professionis) (imo quia indubitanter sunt vera) procul dubio contra Spiritum Dei agit, qui aliquid contra veritatem attentat, quoniam ipse est Spiritus veritatis*. Dices: nonne licet religioso ad arcio-rem religionem transire sine obtenta licentia sui Prælati? Respondeo primo, illum transitum esse ab Ecclesia illo modo approbatum. Deinde, ibi mutatur status in perfectiorem, quæ exceptio fuit in priori professione virtute inclusa, et ita non agitur contra illam; hic vero non mutatur status, sed in eodem assumitur certus vitæ modus, quem non licet propria voluntate assumere, quia, licet ille modus vitæ videatur

secundum se perfectior, tamen ei, qui in tali statu existit, melius est obedire, et contra obedientiam nullus vivendi modus potest esse in tali statu perfectior.

16. At vero, quando hic status vitæ solitariæ non supponit statum religiosum, licet possit fortasse dici modus vivendi perfectior quoad actionem, vel quoad usum, non potest dici status perfectior, quia status non est; et ex ea parte imperfectus modus vitæ est, quia potest propria voluntate mutari. Quomodo dixit Glossa, in dict. c. *Qui vere*, eremitam, transeundo ad monachum, transire ad vitam arcio-rem, quia jam non potest habere proprium; adde, et quia jam est sub obedientia, quod est omnium optimum, quantum ad statum spectat. Quin potius, licet supponatur religiosus status, si non supponitur exercitatio religiosa in congregatione fratrum, et magna virtus ac perfectio acquisita, illud vitæ genus, regulariter loquendo, eligibile non est, quia non est via segura ad perfectionem, sed periculis plena, nisi divina gratia (ait D. Thomas) suppleat quod in aliis per exercitationem acquiritur, ut in *S. Benedicto*, et aliis. Quamobrem, absolute ac humano modo loquendo, ille vivendi modus omnino solitari-rius, illo modo assumptus, non cadit sub humanum consilium, nec potest dici simpliciter melior, sed solum cum hoc addito, Nisi specialis Spiritus Sancti instinctus interveniat, ita ut homo interius ab Spiritu Sancto certitudinem accipiat, quod sub protectione et directione sua illum suscipiat. Quin etiam addo, regulariter item loquendo, etiam religiosi viri, et in vitæ sanctitate exercitatis, salubrius esse in fratrum congregatione quam in solitudine versari, ut docuit Basilium, serm. 1 de Institutis monachorum, ubi ad minimum in conventu denarium numerum requirit ex professo vero id disputat regula 7, ex fusioribus, comparatione facta inter vitam solitariam et cœnobiticam, et hanc multis rationibus præfert.

17. Quæ a fortiori probant, statum religiosum in vita communitatis esse longe utilio-rem et securiorem, quam in vita privata domestica, et non omnino solitaria, quia in tali modo vivendi et desunt utilitates vitæ communis, quales sunt, major et quasi continuus obedientiæ influxus, adiutorium aliorum fratrum per exemplum, per correptionem, et per alia charitatis opera, plures item occasiones exercendi omnes virtutes, humilitatis præcipue ac charitatis, major custodia, et vi-

gilantia ad proficiendum, et vitandos omnes defectus, atque aliæ similes. Deest etiam in illo vivendi modo illa specialis commoditas, vacandi semper Deo, propter quam vita solitaria in veneratione et admiratione habetur. Unde factum est, ut uterque modus vitæ religiosæ privatæ seu solitariæ, fere ab usu Ecclesiæ sublatus fuerit. Domesticus quidem et urbanus (ut sic dicam), ut parum utilis, et occasionibus expositus; eremiticus vero, et omnino solitarius, ut periculosus, et ordinarie etiam minus utilis, nisi sub actuali obedientia alicujus religionis retineatur.

48. Addo præterea, etiam illo modo, quo vita eremitica præfertur a D. Thoma cœnobiticæ, intelligendum id esse præcise stando intra latitudinem vitæ contemplativæ; ideo enim solitaria vita præfertur, quia ad actualem contemplationem aptior est. Nihilominus tamen si vita illa omnino solitaria et otiosa illo sancto otio, quod diligit charitas veritatis, ut Augustinus ait, si illa (inquam) comparetur cum vita actuosa actione illa, quæ ex contemplatione manat, et aliquam conversationem inter homines requirit, perfectior simpliciter est hæc vita, quam illa omnino solitaria, ut manifeste probat discursus ejusdem D. Thomæ, d. q. 188, art. 6; et ideo in art. 8, ab illa comparatione vitæ socialis et solitariæ, separat religiones, quæ ad actiones aliquo modo ordinantur, de quibus jam dixerat, eas, quæ ad docendum et prædicandum ordinantur, ex suo genere præferre his quæ tantum contemplationi vacant, quia altius est perficere quam perfici, et ex abundantia perfectionis provenit, contemplata aliis tradere. Unde Basilius, dict. regula 7, vitam socialem maxime præfert, propter exercitium operum charitatis, inter quæ potissima sunt quæ proxime ex ipsa contemplatione nascuntur. Hoc etiam videtur confirmari exemplo Joannis Baptistæ, qui post vitam solitariam ad prædicandum accessit. Item ad hoc propositum utitur Innocentius III, in d. e. *Nisi cum pridem*, de Renunt., exemplo Jeremiæ, dicens ad quemdam Episcopum, qui propter otium contemplationis Episcopi munus recusabat: *Scire debes non esse te sanctificato in utero sanctiorem, et ideo non oportet te prædicationis jam susceptæ respuere ministerium*, etc. Et in fine illius capituli, plura dicit in confirmationem hujus sententiæ, quæ inferius cap. 8, cum iterum hæc comparatio occurreret, afferemus.

49. *Ultra vita sit antiquior*. — Ultimo posunt hi duo status comparari in antiquitate,

uter, scilicet, antiquior fuerit. Quidam enim censent eremiticum fuisse antiquiorem, nam auctorem cœnobiorum dicunt fuisse Antonium, quem præcessit Paulus, qui eremitarum pater post Christum appellatur, quamvis ante ipsum Christum illius vitæ exempla præcesserint in Elia, Eliseo et Joanne Baptista, teste Hieronymo, epist. 22. Sed nihil certum existimo posse in hoc statui; et si quid affirmandum est, verisimilius videtur cœnobita fuisse antiquiora. Nam a tempore Apostolorum et D. Marci inceperunt, sive clericorum, sive monachorum, ut in superioribus tactum est, et infra, tract. 10, lib. 1, etiam dicitur. Et tempore etiam Elisei et Prophetarum fuisse societatem aliquam inter solitariam vitam agentes, ex antiquis auctoribus colligitur. Verisimile autem est nunquam defuisse aliquos, qui desiderio contemplationis majoris solitariam vitam amaverint, ut ait Cassianus, collat. 18, c. 6; et ideo hi duo status quoad hoc dici possunt æquales, quamvis ordine magis congruo cœnobiticus debeat præcedere, ut dixi n. 16, licet interdum ex divina inspiratione ordo mutetur, sicut Paulus ad solitudinem statim vocatus est, occasione quidem vitandi persecutionem, ut supra ait Cassianus, et Nicephorus, lib. 8 Histor., c. 39 et 40, ex speciali tamen Dei providentia, ad singulare illius vitæ exemplum; Antonius et Benedictus solitariam vitam prius coluerunt, et postea ad multorum perfectionem cœnobiticam instituerunt.

CAPUT III.

UTRUM RELIGIO RECTE DIVIDI POSSIT IN MILITAREM ET NON MILITAREM.

Omisso statu religionis solitario, quia vel in usu jam non est, vel, si aliquo modo est, pars est cœnobitici, et de illo jam satis diximus, agendum sequitur de varietate quadam adhuc generica ordinum religiosorum, nempe militarium. Nam militares ordines multum ab aliis differre videntur, et in controversia est, an sint religiones simpliciter, vel secundum quid; ideo hoc imprimis discutendum est. De aliis enim non militaribus liquet, et dari in Ecclesia, et in ea esse non solum statum religiosum simpliciter, sed etiam maxime perfectum, et pro nunc satis distingui a militaribus per negationem finis illarum, quia, videlicet, ad corporalem militiam ordinatus non est.

1. *Militia potest opus esse honestum*. — De militaribus ergo ordinibus duplex quæstio tractari potest. Una est de possibili, an possit religio militaris institui, id est, per se primo ad militandum, quam præsentis capite expediemus. Alia de facto, an ordines militares, qui nunc sunt instituti, sint vere, proprie, ac simpliciter religiones, quam in caput sequens reservamus. Præsentem ergo quæstionem tractat D. Thomas 2. 2, q. 88, art. 3, et respondet affirmando; et rationem reddit, quia militare debito modo potest esse opus insignis charitatis et religionis; religiones autem activæ ad hujusmodi actus instituuntur. Ut autem certa ab incertis discernamus, supponendum est, actum militandi, debitis circumstantiis factum, esse opus bonum et justum, quod latius ostenditur in materia de Bello, 2. 2, q. 40, contra aliquos hæreticos, qui dixerunt bellum esse intrinsece malum, vel saltem lege Evangelica prohibitum, quod est evidenter falsum, ut positive constat ex tota Scriptura veteri; ex nova autem, saltem negative, quia nulla talis prohibitio in ea continetur, nec ex traditione habetur, sed potius oppositum constat ex consuetudine Ecclesiæ; nam christianissimi principes sæpe bella gesserunt justissima propter Ecclesiæ defensionem, approbantibus, imo excitantibus Summis Pontificibus, imo et Deo ipso miraculose ea confirmante. Denique ratio est evidens, quia ad pacem et defensionem Ecclesiæ id sæpe necessarium est, et in principibus supremis est jus et potestas ad tuendam, imo et ad vindicandam suam Rempubicam.

2. *Militia honesta uno modo*. — Altero modo. — Est autem ulterius considerandum, duplex posse esse bellum justum: unum, quod ad temporalem finem tantum proxime ordinatur, ut sunt, verbi gratia, bella, quæ ordinarie geruntur inter principes christianos; nam, licet ex altera saltem parte sint justa, non tamen per ea intendunt, nisi aliquod temporale dominium, quo privati sunt, aut justam vindictam alicujus publicæ injuriæ, vel aliquid simile. Aliud vero est bellum non solum justum, sed etiam pium ac religiosum, quia proxime a militantibus ordinatur ad defendendam religionem, fidem, vel Dei populum ab injuriis infidelium, paganorum, vel hæreticorum. Tale fuit bellum Machabæorum, quorum exemplo D. Thomas maxime utitur; et in Ecclesia tale habitum semper fuit bellum contra Turcas, pro defensione vel restauratione terræ sanctæ. Et ideo antiquis-

simum fuit voto se Deo consecrare ad hujusmodi bellum, vel ad præstandum favorem vel auxilium in eo militantibus, et insigne crucis assumere in signum talis voti et obligationis, ut colligitur ex c. *Ex multa*, et c. *Postulastis*, cum multis aliis de voto, et ex supra dictis de votis simplicibus reservatis, inter quæ tale votum computatur. Hujusmodi etiam fuit bellum Caroli V imperatoris, contra hæreticos Lutheranos, et similia.

3. *Honestas primi modi non sufficit ad statum religiosum*. — Religio ergo ad militandum non pro quocumque bello justo institui potest, ut bene adnotavit Cajetanus, dicto a. 3, et significavit D. Thomas, cum dixit, militiam religiosam non ordinari ad bonum temporale, seu finem mundanum; hic enim finis non excludit quin bellum sit justum; nam, servata æquitate, potest quis velle sua temporalia bona propter temporale commodum, vel propter ipsum principatum terrenum. At vero militia inter hos limites contenta, quantumvis justa, non potest esse finis religiosi status, quia est actio mere terrena et temporalis, non minus quam mercatura, vel alia similis negotiatio. Item, quia status religiosus debet primario respicere cultum Dei, et pietatem ac perfectionem animæ; militia autem illo modo spectata, licet habeat quamdam bonitatem moralem, quatenus justa est, non tamen continet divinum cultum, nec est opus pietatis, nec per se confert ad animi perfectionem; quin potius ex se multis est periculis exposita, quæ nisi compensentur ex aliquo perfecto fine religionis, et boni communis, non sunt eligibilia ei, qui velit perfectionem consequi.

4. *Sufficit tamen honestas secundi modi*.

At vero si sumatur militia religiosa (ut sic dicam), id est, quæ pro defensione Christianæ religionis, et Ecclesiæ, ac innocentium assumitur, sic quidem potest esse finis aptus ut propter illum instituat religionem, et hoc modo dicendum est, possibilem esse religionem militarem, id est, ad religiose militandum, tantum ad proprium scopum, et finem institutam. Hæc est mens D. Thomæ supra, cujus sententia sine controversia fere communiter recepta est, et usu Ecclesiæ satis confirmata; nam militares ordines sub nomine et approbatione religionum, jam diu in Ecclesia fuerunt, et initium sumpserunt ab Urbano II, ante 570 annos, ut ex historiis illorum temporum constat, et attigit Thomas Bosius, tom. 2, de Signis Ecclesiæ, lib. 19, c. 1, num. 22,